OBSERVATIONES VALERIANAE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM MARBVRGENSIVM ORDINIS

AVCTORITATE ET CONSENSV

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XV. MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLXXI

PVPLICE DEFENDET

ERNESTVS CAR. FRID. REVSS

SOLITARIENSIS.

MARBVRGI.

TYPIS ACADEMICIS N. G. ELWERTI.

MDCCCLXXI.

Praeceptoribus carissimis

has studiorum primitias

dedicat

auctor.

Quamvis hoc tempore fere fiat, ut argenteae, quae dicitur, latinitatis poetae aequo magis a viris doctis postponantur ac negligantur nimiaque artis poeticae sterilitas — ea quidem nisi me fallit animus universae illorum temporum vitae condicione, qua scriptores utebantur, satis excusata — maxime autem earundem silvarum repetitio languidissima et frigidissima clametur — praeclarissimum exemplum Senecam afferre liceat —, sunt tamen, quos ut accuratius tractemus, satis operae pretium sit. Cui numero inter posteriores poetas epicos Valerius Flaccus quoque adscribendus est, ut cujus carmen de Argonautarum in Colchida expeditione confectum prae ceteris illius aetatis poematibus magni aestimandum videatur esse. Quam sententiam paulo amplius illustraturus paucis verbis in universam poesis epicae rationem, qualis apud Romanos fuit, exponendam intrabo, quo major evadat eorum, quae mihi proposui perspicuitas.

Romanos in hoc genere vestigia Graecorum arcte pressisse, non solum quod ad formam versuumque compositionem sed etiam ad rem argumentumque attinet, quum apud omnes constet, pluribus verbis demonstrare supersedeo. Neque minus prima elementa silentio praetermittere poterimus, quum ad excolendam posterioris aetatis artem epicam excepta videlicet dicendi ratione, quod judicare liceat, haud ita magno sint momento. Unum prioris aevi versificatorem, ut hoc verbo utar, attingamus, P. Terentium Varronem Atacinum, Ciceronis aequalem, non quod majoris auctoritatis fuit, quam ceteri, sed

quod in eandem materiam operam contulit, in quam Valerius Flaccus ipse, qua in re eum Apollonii Rhodii exemplum prorsus imitandum sibi proposuisse Quintilianus l. X, 1, 87 satis testatur dicens: »Atacinus Varro in iis, per quae nomen est assecutus, interpres operis alieni, non spernendus quidem, verum ad augendam facultatem dicendi parum locuples«. Praeterea quoque sunt qui eum propter tradendi facilitatem laudibus extulerint, unde vere videmur posse contendere, virtutes ejus eo coerceri, ut non mediocri artis ex alieno in suum sermonem convertendi celeritate facultateque uteretur.

Ubi vero illorum poetarum opera major Alexandrinorum notitia pervulgata est, certis legibus et formae et materiae tractandae constitutis Augusteae aetatis scriptores, in iis summus Virgilius, rationem ac viam epicorum carminum componendorum definierunt, cui omnes posteri sese applicuerunt adjunxeruntque. Non minus eleganti politoque judicio quam exquisita doctrina altissimaque eruditione adjuti id egerunt, ut pristinis fabulis in suum usum commutatis et aetatis suae et aulae imperatoriae utilitati inservientes artem poeticam populi Romani, quantum fieri potuit, dominatione Graeci ingenii liberarent. Nec negandum, eos in epico genere aliquid profecisse. Debetur iis distinctio in eo facta, quum alterum genus fere proprie epicum appellatum, ut quod in narrationem ipsam conclusum sit, alterum cui postea didactico nomen datum est, inter se disjungenda esse censerent eamque distinctionem apud aequales usu perceptam redderent. Illorum autem omnium et de veteri et de nostrae memoriae arte poetica merita, quum satis superque a recentioribus illustrata sint, nolim in iis morari. Uni plura verba debere mihi videor, cui omnium temporum haud adeo infrequentes laudes obtigerint, Virgilium Maronem dico, poetarum Romanorum facile principem, cujus vim atque artem nisi accuratius perspexeris, de ceterorum ingenio ac pondere, quum in illo imitando prorsus consederint atque praesertim et vitia et virtutes ejus et ipsi prorsus suas reddiderint, vix aequum judicium feras.

Paucos reor esse scriptores, in quibus si, quomodo ars poetica posterioribus exemplo fuerit demonstrare tibi destinaveris, faciliori utaris condicione. Neque mirandum est, quod fere omnes insequentis aetatis epici in ejus ut unici exempli mores se conformaverunt. Carmen enim ejus heroicum, sub Aeneidis nomine publici juris factum, cujus materia veteribus fabulis desumpta et summa arte ad augendam vim auctoritatemque cum populi Romani universi tum gentis Juliae elaborata est, quamvis haud raris opprobriis apud severos judices sit obnoxium, tamen multifariis virtutibus inter omnia ejusdem generis et aequalium et priorum et posteriorum excellit. Maximopere autem Virgilius laudandus est, quod primus Graecis exemplis repudiatis suo ipse ingenio carminis argumentum invenit neque minore arte sine aliis adminiculis excepta accuratissima graeci sermonis notitia non parvo quidem labore contextum ad finem perduxit. Itaque hoc potissimum opus valere ad eum judicandum critici putant et quibus excellat laudibus, et quibus vitiis laboret. Atque in universum eis judiciis assentiendum erit, quae in singulis litterarum romanarum historiis de eo lata invenimus, etiamsi sunt quae rectius dici possint. Sed ne longus sim, satis habeo monuisse, omnes, quorum judicii hoc erat, ad nostram aetatem libere concessisse, prae ceteris Virgilium morum descriptione, severa pellucidaque totius carminis dispositione, haud vulgari dicendi arte, verborum copiositate et elegantia eminere nec minus ipsarum rerum abundantia, quas adeo floribus luminibusque dicendi exornavit, ut omnes posteriores eo quasi ad inexhaustum fontem redirent ejusque locutiones suas redderent. Unde pervulgatam sententiam neque cuiquam addubitatam tibi probari puto, eum carmen in suo genere expletum et cumulatum confecisse nec non poetae ipsius illa vi, quae ad gignendum procreandumque plurimum valet, abundasse, mentis autem sagacitate, quae omnia apta inter se et convenientia reddat, tantopere omnes ceteros epici generis scriptores superasse, ut ne unus quidem ei comparari possit. Ubi ejus quoque ars

deficit, magna ex parte in temporibus ipsis culpa posita est, quia majores res describere conatus est, quam quas ingenii eorum modus caperet. Neminem spero extiturum esse qui negaverit, nonnihil offensionis Virgilii habere illud, quod plurima, quae ad externam vitae degendae condicionem pertinent, ex veterrimis temporibus attracta sunt, quod, quum in historiae enarratione fabulae antiquae forma plane servata sit, contra ea, quae animi vitam, ut ita loquar, sensus ac cogitandi rationes respiciunt, cum ejus ipsius aetate prorsus congruunt. Qua in re non boni exempli fuit imitatoribus, quum, quibus animi motionibus et viri et mulieres afficiantur, denique totus inter utrumque sexum amor antiquissimis moribus parum conveniat, nec minus ab illius aetatis condicione omnes res ad luxuriam effusiorem cultumque delicatum pertinentes, quae sunt nitidioris vitae instrumenta, prorsus abhorreant. Cujus rei eam ob causam diserta fusiorque mentio fit, quod, hic si quid erit offensum, in eadem etiamque majore offensa Valerius Flaccus quoque est, qui et ipse tales res inter se diversissimas et dissentientes commiscuit. Vetant autem hi errores, quominus inter summos omnium temporum poetas Virgilium recipiamus, etsi in poesi romana principem locum tenet. Male quidem reprehenderes, si illos ei opprobrio dares. Tales a vera temporum ratione aberrationes facile nos adducunt, ut eum nonnullis neoitalicis atque omnino poetis illis comparemus, qui communi significatione romanticorum comprehenduntur, quippe quibus et ipsis hi anachronismi, qui dicuntur, proprii sunt. Magni esse possunt hi scriptores in genere suo neque tamen genus eorum est summum.

Valens vero et felix criticus ex mea sententia in Virgilio non tam illud carmen proprie epicum, quo maximam gloriam peperit, dico Aeneidem, ante omnia respiciet, quam ea, quae in didactico genere confecit. Atque contendere audeo, indolem ejus magis arti didacticae et dramaticae pronam fuisse, quam epicae. Fortasse id ipse non ignorabat, cum memoriae pro-

ditum sit, eum nescio an diffisum ingenio suo carmen illud splendidissimum delere voluisse. Quod ut probabile reddam, id monere liceat, vim ejus poeticam potius conspici in describendis rebus, quae dramatica natura rigent, quae sic exponuntur, quasi agatur res non quasi narretur, quam in placido cursu epicae enarrationis. Quam sententiam si tibi persuadere vis, conferre libeat Aeneidis librum alterum, sextum, undecimum, inprimis autem quartum, in quo quum omnia ita exposita sint, ut maxime sub finem non narrari ea, quae gesta sunt sed rem geri prorsus videas, perfecta fere tragoedia dici potest. Neque minus pressa subtilisque verborum proprietas ac pathetica ejus dicendi ratio ad hanc contentionem confirmandam afferri possunt. Nolens vero late fuseque id exponere denique Bernhardyi judicium improbandum esse censeo in historia litt. rom. ed. alt. pag. 416 latum dicentis, vim dramaticam ei plane defuisse.

Variae Virgilii virtutes ac totius populi admiratio, quae ubi primum Aeneis in medium prolata est, statim in eum se convertit, ut a subsequentis aetatis poetis epicis pro exemplo haberetur facile effecerunt. Quorum ingeniem ac morem si denotare vis, satis est dicere, in plerisque potius rhetoricam quam poeticam artem esse laudandam, qua in re nihil fecerunt, nisi ut viam ac rationem a Virgilio initam angustioribus autem finibus circumscriptam longius persequerentur, unde explicandum, cur opera eorum ad excolendam poesin epicam nihil fere profecerit. Hoc in numero sunt M. Annaeus Lucanus, sermonis elegantia praestans, C. Silius Italicus, P. Papinius Statius. Primum autem locum inter Virgilii sectatores C. Valerius Flaccus obtinere videtur, cujus gloria, in paucorum notitia versans nec non in controversiam vocata obtrectationibusque limata, altera vero ex parte a virtutum ejus praeconibus nimis aucta, quibus laudibus meritisque nitatur, quibus vitiis minuatur, in sequentibus, priore commentationis parte, paulo accuratius exponere mihi destinavi, quo eo magis adductus sum, quo minus huic rei

operam datam repperi ac labor studiumque eo collatum non profusum perditumque esse videtur.

Secutus autem et Valerius noster antecessorem vel in ipsa materia carminis eligenda, quum non sui populi res memoratu dignas canendas sibi sumeret, id quod alii aequalium fecerunt, sed ad pristinorum temporum fabulas regressus materiam accuratis studiis pertentatam tractandam susciperet. Nec dubito, quin mihi assentiaris censenti, in hac silva bene electa felicem poetae manum esse agnoscendam, si quidem concedis, illa qua fuit aetate longe optimam fuisse rationem non tam nova procreandi quam vetera exculta dicendi arte recreandi sensibusque hominum accomodandi. Quare qui Bernhardyus contendere potuerit, temerarium eum fecisse delectum, in quo labaret necesse fuisset, non video. An vir perrillustris arbitratur, feliciores fuisse Lucanum in Pharsalia, Silium in Punicis, Statium in Achilleide et Thebaide? Contra libere confiteor, non solum libera rerum inventione materiaeque a Virgiliana non ita alienae tractatione, sed etiam ratione et distributione, qua in tanta rerum abundantia ante omnia opus erat, eum Virgilio multo esse inferiorem, quibus rebus ut huic impar fuit ita longe praestitit Apollonio Rhodio, Alexandrino poetae, qui et ipse studium magis suum poeticum quam ingenium ad expeditionem illam Argonautarum canendam convertit. Felix autem haec materia eo evadit, quod prae ceteris poetae facultatem praebet artis exercendae cum in rebus periculosae aleae plenis ad fidem memoriae enarrandis nec non cogitatione exornandis tum in hominibus regionibusque alienis ac diversissimis pingendis. Qua ejus natura haud dubie Apollonius, ut erat grammaticus doctisque studiis deditus, ad eam comprehendendam adductus est nec dubitandum, quin Valerius pariter senserit. Atque nostrum poetam in illis argumenti commodis excerpendis multo meliorem rationem modumque adhibuisse quam ille fecit, facile tibi persuadebis, nec errare mihi videor statuens in hanc quoque ejus virtutem cadere quam Quintilianus l. X, 1, 90 in laudem fert verbis usus hisce: in Valerio Flacco nuper multum amisimus.

Neque autem eadem apud aequales auctoritate valebat, quamquam comparationem quae ad summam utriusque carminis spectat, si instituimus inter eum et Apollonium, non dubitamus ab ipsius partibus stare. Aliae quidem hujus virtutes sunt, aliae illius. Ut enim Graecus simplicitate et dicendi narrandique suavitate praestat, ita Romanus totius dispositionis artificio ac morum notatione, quae nihil fere abhorret a veritate, eum superat nec minus eo, quod varios studiorum fructus arte rhetorica ornatos majori prudentia ac sensu poemati inseruit. Sed quo magis tuae sententiae esse possis neque ab alieno judicio pendeas, ambagibus missis, quam brevissime geri potest, continuam duorum poematum collationem proferam necesse est, quae nisi instituitur, ea, quae in carmine aestimando potissimum ponderanda sunt, et totius rei dispositio et singularum partium expositio, vel quidnam poeta sibi proposuerit et quomodo singula inter se conjunxerit, explanaverit, exornaverit, dilucida non fiunt. Valeriani quidem carminis argumentum consiliumque quominus ad finem perducamus imperfecta ejus conditio vetat. Itaque ad ordinem librorum hoc fere habes argumentum carminis.

Valeriani.

Lib. I. Exordio ut incepto faveant poeta deos implorat neque Vespasiani imperatoris adulatione abstinet, quae praefatus in ipsam rem nos introducit. Pelias tyrannus a vatibus, ut filium fratris caveret praemonitus expeditionem in Colchida parare constituit, quae aureum vellus Phrixi inde referret. Cui Jasonem praefecit, a quo insidias sibi strui putabat sperans fore ut juvenis audax periculis opprimeretur. Undique totius Grae-

Apolloniani.

L. I. Primi Apolloniani libri argumentum ipsum non longe a Valerio discedit. Nemo autem in eo approbabit, quod languida singularum rerum enarratione ab ovo ineunte — venia sit elocutioni — usus statim initio oraculi mentionem facit Peliae lato, ut virum uno calceo indutum timeret. Quod quum in Jasone exitum habuisset, eum ut periret in Colchida misit, vellus illud reportaturum. Haec totius expeditionis causa majori quam

ciae viri fortissimi Jolcum concurrunt, quo ubi universi advenerunt, navis in mare deducitur. Sacra jam fiunt Neptuni aliorumque deorum, quibus faventibus apud omnes spes et laetitia exoritur. Postquam inter epulas et somnum ultimam noctem degerunt sole oriente ancoras solvunt non sine magna Jasonis parentum lamentatione mala sibi praesagientium. Eo quod singula transtra sorti distribuenda permittit aptam poeta nanciscitur facultatem indicis de universa eorum manu inserendi. Priusquam autem navis portu egressa est, Acastus quoque, Peliae ipsius filius, clam patre acurrit a Jasone ut agmen sequeretur permotus. Tandem omnibus rite peractis dum litus hominibus abundat, vela ventis dant sensimque e conspectu patriae recedunt. Diis autem audacium eorum mirantibus Jupiter in fatis esse exponit, ut Asia et Europa atroci pugna congrederentur et ob aureum vellus et ob Helenam raptam; se ipsum autem ait Graecis esse fauturum. Tum Castorem et Pollucem filios benigne allocutus, ut navigantibus signum favoris det, fulmen jacit. Primum his periculum imminet Borea ingentem tempestatem movente, par erat brevitate absoluta est atque hac parte Valerius Apollonio tantopere praestat, ut vix ullam habeant comparationem. Quum hic grammaticus, illic poeta conspicitur; alter potius historice, alter poetice rem agressus est. Navem ab illo pluribus verbis descriptam hic explicare plane supersedet, inepta interposita causa, quod eam ab aliis satis expositam invenisset. Nec melius cum illius arte incomposita singulorum virorum enumeratio convenit. Quod contra suavius fortasse ab eo quam a Romano Jasonis a parentibus discessus enarratus est, ut in quo magnae animi motionum notitiae testimonium ediderit.

Ubi omnes in navem convenerunt et Herculis monitu — in hac quoque parte ars ejus labitur — Jasonem ducem constituerunt, sacris factis nocteque peracta magna spe elati prima luce iter ingrediuntur. Ingrata jam sequitur Idmonis cum Ida altercatio, qua de re ab universo consilio satis abhorrente parumque quae Jasonis vim augeret idonea quod plura verba fecit valde est dolendum. Docti potius viri quam poetae politi hic deprehendis vertigia. Tempestatis apud Valerium l. I, v. 574—692

ut navem undis demergat, quam ubi Neptunus sedavit crebrae ei libationes fiunt. Neque autem Jason cura parentum nude relictorum vacat, in quos ne Pelias filii clandestina fuga iratus saeviat admodum veretur. Nec sine causa, nam Aeson et Alcimede Crethei umbra de filii et ipsorum sorte certiores facti insidias tyranni praevenire decernunt eo quod ipsi mortem sibi consciscunt sanguine taurino hausto. Fine hujus libri inferorum conditio paulo diffusius depingitur.

Lib II. Jam singularum quas legunt regionum litorumque descriptio varie atque artificiose effecta insequitur. Multum operae uterque poetarum in exponendam Lemni insulae conditionem confert et Argonautarum in ea commorationem, quae hic versibus 82—427 continetur. Tandem Herculi segnitiem eorum increpanti obtemperantes magno cum dolore a Lemniadibus se avellunt et itinere pergunt. Primum ad Samothracen tum ad Sigeum appulsi, ubi Hercules Hesionem, Laomedontis filiam, monstro occiso servavit neque tamen mercedem conductam accepit, Hellesponto superato, Cyzicum perveniunt.

Lib. III. Incipiente libro enarratae ab Apollonio nulla mentio fit nec commemoratur sors Jasonis parentum, in quam exponendam ille nescio an ea ipsa de causa quod eam praetermisit, magnam primi libri partem consumit. Quod num ab eo concinne ceteris adjungatur, dubitari potest, dubitari autem non potest, quin digressio illa sub ipsum finem facta, ubi inferorum conditionem longa oratione illustrat, a contextu consilioque poematis prorsus recedat ideoque quam maxime vituperanda sit.

Postquam Athonem montem legerunt oram maritimam praetervecti viri Lemnum advenerunt. A Lemniadibus invitati longam hic stationem faciunt, in qua scribenda poeta a v. 608 ad v. 909 moratur. Duo poetae eo differunt, quod Valerii narratio justo altius repetita, Apollonii eo coercita est, ut tantum res ab Argonautis gestas referat. Quum enim ille ad Vulcanum ab incolis insulae benigne receptum recurrat, hic nihil nisi parricidium a Lemniadibus factum paucis verbis memorat, quo illius temporis statum significaret. Itaque hoc quoque loco vides, romanum poetam praecipue iis rebus latius tractandis indulgere, quas ab

ratio fit pugnae inter Doliones et Graecos acerrime exortae miserandique Cyzici regis exitii. Ubi vero die illucescente fatalis error cognitus est magnus utrimque fletus et commiseratio editur. Regi igitur suprema solvuntur, quo facto Argonautae a Mopso lustrati proficiscuntur et in Mysiam veniunt. Jam qui factum sit poeta late exponit, ut Hercules dolis Junonis a sociis sejungatur. Haec enim et finem hujus libri explent et insequentis libri initium usque ad v. 89. Longum est singula persequi, nolo autem silentio praeterire, librum tertium prae ceteris arte poetica egregium esse maxime spectata in perscribendis certaminibus nec minus in illustrandis rebus ad misericordiam movendam aptis qualis res sit adspectus ille miserrimus Cyzici regis per hospites interfecti.

Lib. IV. Ad Bebrycum fines provecti ab Amyco rege Neptuni filio, ad certamen provocantur, in quod quum Pollux descendisset illo occiso superior discessit. In quo depingendo Valerius noster politissima illa arte usus Apollonio longe praestat. Praecipuam enim hic locus artis ejus efficit admirationem. Tum itinere per Bosporum continuato, qua occa- antecessore aut plane praetermissas aut brevius absolutas repperit. Lemno relicta Samothracen appellunt, unde per Hellespontum pergentes Cyzicum proficiscuntur, qua in insula a Cyzico, rege Dolionum liberalissime recipiuntur. Excursus ille Valerianae orationi insertus de Herculis in Troade facinoribus in graeco carmine deest neque eum deesse dolendum puto.

Sequentia cum Valerio fere prorsus consentiunt, en proelium cum Dolionibus commissum et Herculis a comitibus discessus. Quae enarrata primum Apollonii librum conficiunt ac suo loco ei finis impositus est, quum diremta viri fortissimi cum ceteris societas ad eventum totius rei summo pondere sit. Minus Romanus laudandus est, quippe qui hanc rem uno libro absolvendam in duos distraxerit. Ceterum hoc loco verbo moneatur, quam parum Apollonius Jasonem decore auctum et principis personam in expeditione administranda tuentem reddiderit, cujus rei satis grave exemplum habes in ejus cum Telamone rixa in fine libri exposita.

Lib. II. Certamen sequitur inter Amycum et Pollucem initum, in quo duos poetas si quidem sin-

sione data poeta Orpheum fata Jonis canentem facit, ad Phineum perveniunt ab Jove occaecatum et ab Harpyiis cruciatum. Quorum tormentorum finem non prius adfore constitutum erat, quam filii Boreae cum Argonautis advenissent illasque ejus carnifices fugassent. Paraebii in hoc carmine nulla est mentio. Jam vero maximum omnium periculum instat rupium Cyanearum superandarum. Quod quum Minerva et Junone juvantibus effugissent ad Maryandinos appulsi a Lyco rege, quem ut consalutarent Echionem praemiserunt, benigne excepti sunt.

Lib. V. Idmon et Tiphys morbo absumpti sepeliuntur; novum gubernatorem carina ipsa locuta Erginum destinat. Hoc maxime exemplo cognoscis, quo usque poeta noster res divinitus factas esse velit, atque ad quem ineptiarum terminum praecipuo illo studio adductus sit, ut omnia ad ipsam divinam voluntatem redeuntia fingat.

Sequentia ad v. 145 fere plane cum Ap. sunt convenientia, neque vero quae inde sequuntur illi respondent, quum jam magis magisque altera ab altera abeat oratio. Nostro carmini propria est vividissima illa et ultra modum gulatim rem persequi omittimus, non adeo habemus discrepantes. Magis autem memoria rerum deinde actarum variatur nec facere possum, quin in narrandis periculis rebusque arduis, quae nautis jam accidunt, hunc Alexandrinum illi anteponam. Deest apud Valerium non solum, quod hic de Graecorum in Thyniam insulam adventu et commoratione refertur, sed etiam Lyci de Hercule et Dascylo patre fabula. Magnam viri jacturam faciunt cum Idmone vate occiso, tum Tiphyos gubernatoris morte, cujus loco Ancaeus omnium consensu gubernandi munus suscipit. Duplicem igitur hujus quoque rei poetas prodidisse memoriam vides. Multas deinde gentes oram ponti Euxini habitantes praetervecti, in iis Amazones, Chalybes, Tribarenos et Mossynoecos, ad insulam quandam, cui Arctias nomen est, deferuntur, ubi miro casu quatuor Phrixi filios inveniunt, quibus ut sibi se adjungant, facile persuadent. Dum Caucasum montem legunt, Prometheum catenis vinctum gemitumque ingentem effundentem vident atque ita tandem quo volunt perveniunt, quum jam Argo lenibus ventis vecta nocte juvante clam in ostium Phasidis

effusa memoria de opere ab Hercule ad Prometheum liberandum suscepto, cujus socii praetervehentes testes sunt, quam excidisse maluerim. Tantum enim abesse puto, ut enarratio bene procedat, ut hoc additamento alienum quid atque ab universi carminis indole plane abhorrens induci videatur. A Caucaso pergentes tandem eo quo tendunt, adveniunt atque occidente sole in Phasidem flumen navi invehuntur.

Musam denuo precibus adortus poeta ad res in Colchide gestas proferendas transit. Phrixo mortuo Aeetes vellus aureum Soli patri et Marti custodiendum commiserat, quod ut redderet quum et Perses, ipsius regis frater, et sacerdotes eum monuissent, tanta ira incensus est, ut germanum ferro occisurus esset. Is autem profugus exercitu coacto urbem aggressus est, quae oppugnatio ei non pro spe processit. Hic erat rerum status, quum Argonautae adveniunt.

Prima luce Jason cum novem sociis ad urbem accessit, quo in itinere Medeae occurrit, quae nutrice servisque comitibus lustratura ad Phasim fluvium descendebat. Virginem adspectu suo perterritam allocutus est, a qua intret. Qua aptissima incisionis faciendae causa Apollonius ad alterum librum finiendum utitur.

Lib. III. Quantopere abhinc duo poemata inter se differant sequens enarratio satis docebit. E. g. apud hunc ne verbo quidem memoratam invenis Aeetae et Persae pugnam, cui Romanus tam multum operae impendit.

Juno et Minerva consilio habito, quomodo Jasoni succurrerent, praestare judicaverunt, Venerem adire, quae Medeam illius amore incenderet. Neque illa paulisper cunctata precibus earum diu restitit ac statim Amorem filium mittit virginem sagitta vulneraturum. Quae dum in Olympo geruntur, Jason filiis Phrixi comitantibus ad regiam contendit summo nitore fulgentem, ubi inter parentes et consanguineos Medeam quoque conspiciunt, cui postquam telum infixit, Amor cum risu avolavit. Hospitio exceptos rex eos, cur venerint, rogat, quod ubi cognovit, vehementer nepotes increpat, quod se regno moveant. Quum vero ille placido moderatoque animo Peliae jussum excusasset, Aeetes simulatione utitur periculorum, quae ei subeunda essent antequam obtinere posset, quod vellet. Non solum campum tauris igni-

postquam servam ducem accepit, caligine ab Junone involutus urbem intravit et in templum Phoebi Genitoris se contulit, ubi regis cum populo deliberationes fiebant. Quae aedes mira ac divina quadam arte a Vulcano exstructa et imaginibus gravibus ad Argûs adventum et ipsius sortem pertinentibus ornata haud parvum et ei et sociis terrorem imbuit. Paulo post Aeetes ab Absyrtho filio, Stiro, genero destinato, filiis Phrixi aliisque primoribus stipatus venit. Ubi advenas conspexit et quinam essent, quidque vellent, interrogavit, ille respondit, Peliae jussu se adesse, ut vellus Phrixeum domum referrent. Quod si ab eo impetrassent, quidquid jussisset, se ei pergratum facturum esse. Rex preces illius praecise negare non ausus ira temperata se ea lege iis obsecuturum esse ait, ut sibi antea contra Persem fratrem auxilium ferrent. Qua re promissa ceteri quoque a navi adducti hospitio convivioque excipiuntur. Est quod artem miremur huc usque spectatam, displicet vero insequens inter Junonem Minervamque et Martem altercatio, quam Juppiter ipse componit. Habes enim hanc quam ineptissimam Homeri imitationem deorum de Trojae exitio rixantium. vomis ei arandum sed etiam dentes draconis serendos et gigantes inde enaturos opprimendos esse. Quae se perfecturum esse pollicitus ille ad socios rediit, quibuscum deliberaret, quid opus esset factu.

Consilio laborantibus Argus, Phrixi filius, spem profert, se per matrem Medeae esse persuasurum, ut artibus magicis sibi succurrat. Itaque Chalciope, mater ejus, cum lacrymis sororem orat atque obsecrat, ut venenis suis Graecos juvaret neque illa quamvis animi motionibus quam maxime dissentientibus dilacerata denegandi vim habet.

In nemore cum Jasone convenit, unguentum ei offert, orat ne sui obliviscatur nec prius precibus instare desistit, quam ille se eam uxorem esse ducturum promisit. Quo facto in urbem revertitur. Venenis autem ejus postero die ille e certaminibus superior discessit.

Haec pars Apolloniani carminis Valeriano praestat neque quemquam fugiet, multo magis praecipuam operam Graecum in istis laboribus pingendis collocasse, quam Romanum.

Lib. IV. Medea autem patris suspiciosi iram timens de celerrima fuga cogitat. Itaque ad

Lib. VI. Hoc libro proelium continetur inter duos exercitus commissum, in quo Jason ipse fortitudine super omnes excellit. Quae ejus aristia, ut ita dicam universum librum explet. Juno autem non ignara, quae deinde ei imminerent pericula, e quibus nisi Medeae artibus eripi non posset, ad Venerem confugit, quae virginem commoveret, ut viros confligentes contemplaretur, unde factum est, ut viri omnium fortissimi amorem conciperet.

Lib. VII. Noctu pugna composita dum viri epulis se dedunt Medea ipsa somnum capere non potest. Hujus virginis abhinc primo loco positae facti rationem poeta nobis ita probavit, ut eam inde lumen quasi totius carminis appellandam esse duxerim. Aeetes autem fidem promissi praestare nolens novas parat fraudes, quibus hospitem periculosum perderet. Jam igitur ei imperat, ut tauris ignivomis jugum imponeret et dentes draconis sereret. Pulcherrime Medeae animo aegrotantis dubitatio pingitur, an advenae, cujus amore incensa est, venenis suis subveniret, necne, quem ut juvaret nisi Veneris ipsius monitu precibusque non adducitur. Itaque dea comitante tenebris obortis nemus adit, ubi quum illum litus contendit, ducem e navi advocat et cum eo ad nemus properat vellus asportatura. Dracone sopito praeda illa potiti festinanter ad socios recurrunt et, ubi illuxit, ancoris solutis in altum mare provehuntur. Aeetes vero nuntio de fuga filiae allato magna Colchorum manu stipatus propere ad litus se confert, unde quum Graecos procul secundis ventis navigantes vidisset multa minatus illico quidquid navium paratum et instructum esset subsequi jubet. Illi, qui aliquantum viae praeceperunt, tertio die ostium Halyos fluminis assequuntur, ubi morati Hecatae templum exstruxerunt. Inde profecti itinere mutato cursum ad Istrum tenent. Quo ut pervenerunt, in partem hostium incidunt, qui dum ipsi ad Halyn quieti se dant piisque operibus indulgent, praecurrerant. Veriti ne majori hostium numero succumberent, si in pugnae discrimen res vocata esset, foedere icto consentiunt, Medeam in insula Dianae tamdiu exponendam esse donec justo judicio constitutum esset, utrum in Colchida reverteretur an in Graeciam pergeret. Illa autem periculi non ignara ne se parentibus iratis redderet ducem obsecrat. Is ei persuasit, ut Ab-

invenisset non sine animi angore remedium dolorum patris cum eo communicat. Ille pollicitationibus non parcit se gratissima memoria beneficia ejus tenturum esse juratus. Quo fit, ut postero die facili negotio tauros domaret et viros e dentibus enatos caederet Quum vero rex ne tum quidem promisso staret, postquam omnia frustra tentata sunt, nihil relinquebatur, nisi ut ad extremam rationem descenderet vellereque exoptato per vim potiretur.

Lib. VIII. Tum vero Medea ne patris poenam solveret verita, quem de ope sua Graecis lata certiorem factum esse comperit, fugae consilio capto illi plane se dedere constituit. Extemplo igitur in lucum properat, Jasoni exspectanti dracone sopito vellus aureum tradit, quo facto quantum accelerare possunt ambo ad navem volant. Omnibus ita perfunctus et a sociis gaudio et clamore acceptus ille quam celerrime ancoras solvi mareque altum peti jubet. Ac properatu opus erat Colchorum enim ad mare concursus, quamquam in praesentia fugam illorum cohibere non potest, raptim classem parat deducitque, qua fugientes eos persequerentur. Itinere masyrthum fratrem in insulam simulatione colloquii illiceret, qui quum nil suspicatus obsecutus esset coram sorore ab illo occisus est. Quo facto Argonautae clam hostibus effugiunt et ad Eridani fluvii os perveniunt; illos autem postquam animum receperunt, ne sequerentur, Juno fulminibus tonitruque prohibet.

Sed haec hactenus, quum amplius duorum carminum nulla sit comparatio. Sub finem vides alteram alteri paulo appropinquare memoriam nec dubitandum eorum quae restant ratione habita, quin ea quoque, quae in Valerio exciderunt, ad universam Apollonianae narrationis condicionem redundarint, quamvis qualia in singulis fuerint conjectura non possimus suspicari. Nullius igitur consilii esse puto, quod Weichertus conatus est, ut ea, quae desunt, propria cogitatione suppleamus. Unum poeta ipse summam totius operis comprehendens prtmi libri exordio significat, fabulam illam, secundum quam navis itinere confecto inter sidera recepta sit.

turato illi Istrum fluvium petunt, in quem ubi invecti sunt, ducis cum virgine crebras lacrymas fundente nuptias celebrant. Sed jam Absyrtho duce hostium classis maturius vecta adventat, quos quominus proprius accederent, nisi Juno ipsa vehementissima tempestate mota deterruisset, fieri non potuit, quin Argonautae necopinati ac securi repentina eorum incursione opprimerentur. Postquam deliberaverunt, quidnam in hoc rerum discrimine faciendum esset, omnibus praestare visum est, Medeam fratri reddere, quod duci quoque diu reluctato tandem persuaserunt. Illa autem meritum de ipsius fraude suspicata precibus fatigat, ne in se perjurium faceret.

In medio Medeae ad Jasonem sermone Valerii poema seu morte auctoris seu alia causa praecisum est. Varie nec tamen satis probabiliter, cui rei imperfecta ejus conditio debeatur, viri docti conjectaverunt; accuratissimum studium Thilo ipso prol. pag. 26—39 quaestioni solvendae impendit. Nec mirandum adhuc sub judice litem esse relictam, quum veritatis conjectura testimoniis deficientibus difficillima sit.

Ut jam eo, unde exorsi sumus, redeamus utroque argumento collato sententiam tibi probari puto, universae dispositionis arte nostrum poetam altero longe esse superiorem, consideranti, quantopere id egerit, ut carmen unum et simplex sit neve singulae res adventui in Colchida praecedentes plus spatii absumant, quam par est. Ea enim pars, qua Argonautarum in illa terra commoratio continetur, caput quasi est operis, ad quod cetera

membra referenda sunt. Ille vero non in una potissimum re versatur quae praevaleat, sed in multas res ac saepenumero a toto consilio plane abhorrentes artem suam discerpsit, ut magis seriem singulorum facinorum, quam poema simplex et ad unitatis quandam rationem redactam habere videamur. Sat multae quidem digressiones in Valerio quoque vituperandae sunt, quibus ut nimis indulgeret materia ipsa facile eum adduxit. Illius igitur suavem neque inelegantem narrandi facultatem admiramur, hujus sanum potius in silva disponenda judicium ac sensum. Neuter autem nec sententiarum copia gravitateque, nec imaginationis ubertate valet, quum pariter a concipiendis rerum imaginibus procul absint, nec quas cogitatione fingere volunt res quasi in conspectu animi ponant nosque ita faciant intuentes, ut ea cernimus, quae videmus oculis. Quodsi poeta visa cogitatione informare non potest, quamvis omnem sermonis splendorem impendat, haec egestas fortasse tegitur neque autem compensatur. Nec negandum, tali orationi altius quasi exaggeratae Valerium eo saepius indulsisse, quo magis argumenti vilitatem arte rhetorica augeret necesse erat. Attamen in omni abundantia subsidiorum ab oratoribus petitorum loci non desunt, in quibus nudae doctrinae vestigia apparent.

Ut ad singulos homines in poemate ante oculos positos transeamus, est profecto, cur eum laudemus, quod mores eorum fere ad exemplum veterum fabularum constitutos reddidit, ita tamen, ut multo dilucidiores apud eum evadent, quam apud antecessorem ejus, nec non qua erat animi motionum majori notitia factorum rationem in iis magis nobis probavit. Jason ipse quidem gravitate justo magis caret planeque ab aliena voluntate pendet, ut potius ducatur, quam ducat; majorem laudem Hercules et Orpheus habuerunt. Sed super omnes excellere Medeam censeo, cui depingendae poeta noster singularem quandam artem impendit. Cujus si forte nonnunquam minus tibi persuadeatur agendi ratio, negligentia praetereas cavendum tibi est, eam universam ad divinum impulsum redundare, ut quae

contra omnem humanitatem egisse videtur non tam ipsius quam deorum vel ut rectius dicam, dearum voluntati tribuenda sint. Ceterum apud illum non est femina nefaria omnique parte detestabilis, quae sua sponte ad quodcunque scelus descendat, sed virgo amore furoreque adeo incensa, ut pro viro vere dilecto quamvis summis animi perturbationibus distenta ac divulsa patriam, parentes, propinquos deserat. Qua in re quum Valerius temporum illorum condicionem male respexerit, auctoritate tamen Virgilii facilem excusationem habebit.

De universa ratione inter graecum et romanum poetam intercedente ut, quae supra suo quidque loco dispersa monui, paucis verbis comprehendam, non ita judico, ut in Valeriano carmine nihil nisi imitationem paulo liberius effectam habeamus, quum satis propria ac singulari sit natura. Neque in ordine neque forma singularum rerum tantopere ab illo pendet, ut non alios fontes (an Diodorum?) primarios habuisse putandus sit, nisi forte — quamquam id valde dubitaverim — nonnulla ad liberam ejus ipsius inventionem referenda sunt. Praecipuum enim studium in eo cernitur, ut, ubicunque per antiquas fabulas licebat, memoriam rerum ab illo diversam sibi eligat. Atque quum ille, id quod ipse significavit, carminis modum ita terminare studuerit, ut iis potius, quae ab aliis minus tractata sint, operam det, hic nihil talium ineptiarum facit, quo fieri non potest, quin apud eum omnia aptius inter se cohaereant ac continuentur.

Restat ut de dicendi genere pauca verba neque autem cum vulgari opinione plane consentientia addam. Nam esse in Valerio puto orationem plerumque sine molestia elegantem, quam legendis bonis exemplis, Virgilio maxime et Ovidio etiam pleniorem effecerat. Quamquam multi loci afferri possunt, qui orationem ejus contortam, saepe quoque ita obscuratam confirment, quasi quae dicat intelligi nolit, neque tamen ita abundant, ut universum illud judicium deleant. Facillime enim, quum ante omnia id agat, ut quam brevissime sententias exprimat, eo se adduci

patitur, ut nimia siccitate sermonem obscurum reddat. In universum autem dicta factis exaequat neque quemadmodum dicat laborat. Saepenumero immoderatione verborum effertur nec desunt exempla, in quibus ad jejunitatem nuditatemque delabatur. Contortiones illae sermonis crux mala omnium sunt, qui eum legunt, et quam maxime ab eo perlegendo deterrent. Quum autem sine re nulla vis verbi sit eique haud raro justa cogitatio aut imago desit, facile explicatur, cur interdum parum verbo valeat. Virgilio quidem non solum munditia claritateque orationis longe cedit sed etiam elatione altitudineque, nec minus suavitate dicendi et varietate atque, ubi opus est, verborum granditate majestateque. Contra Apollonii autem paulo collatum et diffusum sermonem, quamvis hilarior molliorque renideat, ejus angusta quaedam et concisa nec tamen non conspersa quasi verborum floribus eloquendi ratio bene distinguitur. Ceterum non praetermittendum est, illa aetate totam orationem jam canuisse atque suam quandam maturitatem assecutam esse. —

Alteram quam huic commentationi proposui partem aggressus, qua aliquot corruptis locis Valerianis medelas afferre studui, ante rem, quaenam leges in arte critica factitanda observandae esse videantur, non plane silentio praeteribo. Inter omnes satis constat, quamvis hac aetate plura studia in poetam nostrum conferantur primaque codicum excussio certa ratione instituta per Thilonem ante hoc octo annos facta sit, tot locos restare, qui conjecturis indigeant, ut per longum tempus id tantum agendum sit, ut textum, qui vocatur, puriorem emendatioremque reddamus. Ut enim universa librorum manuscr. condicio miserrima est, ita ne satis quidem habemus exploratum, qua singuli valeant auctoritate, quum eorum, quae Thilo ea in re pro certis eruisse sibi visus est, Meynckeus nuper satis gravis extiterit adversarius. Liberius autem in arte critica exercenda nobis versandum esse, quoniam carmen interpolationibus libidinosisque emendationibus maxime per mediam aetatem factis abundet, jam omnes consentiunt. Qua de re Meynckeum con-

feras post Thilonem de Valerio hac memoria meritissimum disputantem et in libello, qui inscribitur »Quaestiones Valerianae«, a. 1865 Bonnae edito et in iis, quae in Museo Rhenano (tom. XXII) publici juris fecit. Editionem autem Teubnerianam, quam se vulgaturum esse is pollicitus est, nemo est, qui non desiderio exspectet.

Atque haec quidem hactenus. Transeo jam ad singulos locos ordine librorum servato tractandos, quorum quemque ad fidem Thilonianae editionis exhibui.

Lib. I, v. 150 sqq.

heu miseros nostrum natosque patresque!
Hacine nos animae faciles rate nubila contra
Mittimur? in solum nunc saeviet Aesona pontus? etc.

Jason animo deficiens parentes commiseratur, quorum filii fragili illa navi, ut quae sit Argo, contra tempestates maris mittantur. Quae pericula sibi una cum sociis imminentia ut Pelias quoque timeret neve sibi suisque insidias pararet, tyranni ipsius filium secum ducere constituit. — Quinam sunt liberi, pro quibus ille se metuere dicit? an ipsius futuri nati? an sociorum? Ne id quidem approbaverim. Itaque pro voce quae est »natosque«, quam Schenklius quoque, novissimus editor, servavit coll. IV, 89, potius restituerim »matresque«, quod ante me Burmannus et Wagnerus commendaverunt. In verbo »faciles« si forte haeres, qua significatione h. l. usurpetur, propriam hanc habes neque nimis frequentatam, qua is dicitur facilis, cui facile aliquid persuadetur vel qui precibus adeundi facilem praebet potestatem. L. I, v. 734 Aeson facilis memoratur, de Argonautis autem ipsis eadem elocutio iteratur l. IV, v. 6. Contortissimae elocutionis exemplum sequentibus continetur verbis: in solum nun saeviet Aesona pontus? quum potius exspectemus »Aesonida«. In versuum paulo infra positorum priore v. 156 vocem »conanti« auctoritate codicis Vaticani defensam neque a sententia abhorrentem, id quod Ph. Braun demonstrasse sibi visus est, tenendam neque in »contanti vel »jactanti« mutandam esse

censeo, quod contra altero v. 157 pro scriptura »uegit« a Vat. exhibita levissima commutatione facta verbum »evehit« recipere praestat, ut quod minus recedat a litterarum illarum ductu, quam quod alii probaverunt »erigit«.

I, v. 306 sqq.

Tempus adest; age rumpe moras; dumque aequore toto
Currimus, incertus si nubila duxerit aether,
Jam nunc mitte metus fidens superisque mihique.

Postquam Argonautae epulandi finem fecerunt seque quieti dederunt, Jason ipse, qui cura parentum cruciatus plurimam noctem vigilabat, quum tandem obdormivisset, per somnum vocem audire sibi visus est monentem, ut jam deorum auxilio fretus cunctando finem imponeret neve longius dubitaret iter ingredi. — Ferri non posse verba illa, quemadmodum libri m. ea praebent, luce clarius est. Ut Heinsii conjecturam praetermittam, Eyssenhardtius pro lectione, quae est »dumque«, scribi maluit »namque« simul vocula »si« in »nec« mutata. Unde tantum abest, ut difficultas solvatur, ut jam novus diversorum enuntiatorum inter se conjungendorum labor instet. Equidem vero miratus quod nemo adhuc in hanc facillimam medelam incidit, satis habeo mutasse vocem »incertus« in »incertos«, si quidem mutatio est, ut haecce habeas verba:

age rumpe moras; dumque aequore *tuto*
Currimus, *incertos*, si nubila duxerit aether,
Jam nunc mitte metus fidens superisque mihique.

Litera »o« igitur verbi »toto« in u, contra »u« vocabuli »incertus« in »o« emendata omnia a sententia optime cohaerent. Elocutioni autem quae est »metus incertus« satis patrocinantur similes loci Vell. II, 2, 71 (dubia spes) et Cic. ep. ad Brut. I, 10, 3 (spes certissima) neque minus eam conjunctionem »si« sequi ad analogiam graeci »εἰ«, Virgiliani te docent loci e. g. A. IV, 110. Denique plurali te non offendi puto, aliis usque similibus ejus usus exemplis collatis (I, 741; VIII, 198; Virg. A. I, 463; Cic. Cael. 15, 36).

I, v. 755.

Flagrantes aras vestemque nemusque sacerdos
Praecipitat e. q. s.

Sententiarum nexus hic est: Dum Aeson sacris faciendis occupatus est, nuntius Acasti filii cum Argonautis profecti ad Peliam pervenit, quo allato magnus per totam urbem clamor et tumultus fit, rege manum cogente, quae quidquid jussisset perficeret. Ille autem sacrificans re cognita »flagrantes aras vestemque nemusque praecipitat«. Hoc loco non de parando, id quod alii voluerunt, sed de finiendo sacrificio cogitandum esse A. Wagnerus primus rectissime monuit, qui eum ita explicat, ut sententia insit, Aesonem properasse ut deflagrarent arae, ut vestem sacram deponeret, ut nemore exiret. Quae num cuiquam probetur, quum valde dubitandum sit, equidem facere non possum quin locum mendosissime descriptum esse statuam. Maxime vocabulum »nemus« offendit, quod vero si immutemus in »animam« Eyssenhardtium secuti nihil fere inde lucramur. Multo magis altera quamvis acerba emendatio »vittamque« rem expedit. Non autem in ea considendum esse ratus longius processerim conjectans:

Flagrantique arae vestem vittamque sacerdos
Praecipitat e. q. s.

Sententiam inde enatam facili negotio intelleges. Clamore audito Aeson extemplo finem facit sacrificandi vestitum sacerdotalem in flammas arae conjiciens. De verbo »praecipitare« conj. cum dat. cf. Ov. Met. 4, 92. Virg. A. II. 36. Forma enim illa zeugmatis »praecipitare aras et vestem« durior est, quam quae vel nostro poetae tribuatur. Ceterum quae Wagnerus de universo orationis contextu commentatus est, poterunt nihilominus probari.

II, 242 sqq.

Sed tibi nunc quae digna tuis ingentibus ausis
Ora feram, decus et patriae laus una ruentis
Hypsipyle? etc.

Ceterarum Lemniadum parricidio exposito poeta quaerit, quibusnam laudibus Hypsipylen efferat, ut quae una ingenti periculo non deterrita nec sine ipsius vitae discrimine patrem senem servaverit. — Verba «ora feram« sana esse confidenter negaverim. Heinsius coll. IV, 330 legere proposuit »orsa seram«, Thilo »verba feram«, Schenklius »orsa feram«, analogia l. V. v. 470 adductus, Peerlcampus eumque secutus Ph. Wagnerus in Jahnii annal. tom. LXXXIX. pag. 401 »dona feram«. Sed comparato l. III, v. 415 facile lectio commendatur:

Sed tibi nunc quae digna tuis ingentibus ausis
Vota feram. etc.

Unde initium ceperint, quae in libris m. leguntur, librario fortasse locus obversabatur, qualis hicce est l. V, 465:

Admonet hic socios nebulamque erumpit Jason
Sideris ora ferens.

III, 39 sqq.

Adque illum non ante sopor luctamine tanto
Lenit agens divum imperiis, cadit inscia clavo
Dextera demittitque oculos, solataque puppis
Turbine flectit iter portuque refertur amico.

Cyzico relicto Argonautae tam secundis ventis usi, ut remigio non opus esset. itinere per Propontidem pergunt. Tiphys autem qui solus cursum observabat, tandem labore somnoque oppressus est, itaque quum navis gubernatore careret itinere flexo vento reflante ad Doliones, quos modo reliquerunt, revehuntur. Huic rerum ordini quae supra protuli verba injungi non posse neminem fugiet. Itaque omnes de corrupta loci condicione consentiunt, quod judicium melioris notae libris firmatur, minus consentiunt de medela adhibenda. Burmannus ei ita subvenit, ut v. 40 post vocem »agens« distingueret, verbis autem quae sunt »divum — dextera« in parenthesi positis ea quae inde sequuntur »demittitque oculos« ad »sopor« referret. Quo facto locus nondum offensione vacat, quare Ph. Wagnerus in Phil. XX, p. 635 eum ita emendare studuit:

Quique illum non ante (lenierat) Sopor tum numine blando
Lenit agens divom imperiis, etc.
vel: Atque hunc qui non ante sopor etc.

De sententiae praestantia varie judicari potest neque mihi haec conjectura satis persuadetur. Genuinae enim scripturae vestigia latere videntur sub verbis »non ante« et »lenit agens«, et, quum universa loci ratio ab elocutione, ut quae inducatur verbis »non ante«, abhorrere videatur, et, quum enuntiatio »agens divum imperiis« non satis aliis testimoniis fulciatur, quem vero Wagnerus affert locum Ovidianum Met. VI, 611: »non est lacrymis hic, inquit, agendum sed ferro«, prorsus aliam vim habeat. Quae quum ita essent, ad alteram conjecturam confugi. Post verbum enim, quo antecedens versus concluditur »ministrat« graviore incisione facta huncce in modum emendavi:

Ast illum frangente (an superante?) sopor luctamine tanto
Lenis adit divum imperiis, cadit inscia clavo
Dextera e. q. s.

Ad sententiam adumbrandam vix opus est verbum addere. Nimio labore — haec enim inest — vires ejus frangente, fieri non potuit, quin in media gubernatione navis obdormisceret.

III, 133 sqq.

Tollitur hinc totusque ruit Tirynthius arcu
Pectore certa regens adversa spicula flamma
Per piceos accensa globos et pectus arrundo
Per medium contenta fugit; ruit ille comanti
Ore facem supra majorque apparuit ignis.

Vivida imago pugnae inter Argonautas et Doliones contra voluntatem exortae h. v. continetur maximeque Herculis prae ceteris contra hostes quos putat furentis. Difficillimus est locus neque ad hunc diem satis bene explicitus. Suspicor poetae ipsi

pugnam Herculis exponenti picturam aliquam obversatam esse, ut veteribus lectoribus imago clarior fuerit quam nobis. Videamus primum, qua ratione verborum libris m. traditorum viri docti susceperint patrocinium. J. A. Wagneri explicatio verbatim allata haecce est: Hercules ipsam adversarii facem in usum convertit suum; prout enim hanc ille movit, ita Hercules »pectore«, ad pectus admoto arcu dirigebat spicula »certa«, ut certo ferirent, »per piceos adcensa globos«, quae tela quum ipsam lampada transirent, inde ignem conceperunt et adcensa per piceos globos flammae pectus transfoderunt Phlegyae, unde duplex vulnus et a ferro et ab igne infligebatur«. Cui interpretationi universe probandae singulae tamen res opponendae sunt. Prima controversia et in vocabulo »totusque«, pro quo alii alias emendationes proposuerunt. Heinsius, ut ab ingenii lusibus non abhorret, paulum evagata sagacitate scribi maluit:

Tollitur huc notusque ruit Tirynthius arcum
Flectere, certa regens adversae spicula flammae
Per piceos densata globos et cett.

De languide dicto, »notusque Tirynthius« verbum profundere nolim neque de supervacanea voculae »hinc« in »huc« mutatione. Magis me arridet conjectura »arcum flectere«, sed ea de causa improbanda, quod cum iis, quae sequuntur, parum convenit, quippe ex quibus arcum jam contentum esse colligendum sit. Fuerunt qui codicum scripturam »totus ruit« defenderent, in iis Ph. Wagnerus, neque vero probabiliter, quum discrimen intersit inter locutiones »totus ruit« et quae est »totus est ruens« neque quemquam lateat, voci, quam defendit, h. l. justam vim deesse. Altera offensio est in vocabulo »pectore«,*) in quo mutando viri docti dissentiunt et »flectere« et »dextra« et »pollice« proponentes. Ut Ph. Wagneri illud omittam quod nescio unde duxerit, minus locum habere conjecturam duabus syllabis

*) Schenklio quidem concedo, versum 472, quem laudat, quodammodo pro veritate scripturae pugnare. Verum propter cogitationis ineptias in conjectura mea persevero.

constantem, qualis est »dextra«, quam Burmannus probavit scribens

Dextra certa regens adversae spicula flammae,

ego tamen et ipse cum illo Burmannianam nimiam improbo mutationem, quod ultimum de enucleanda genuina scriptura desperantibus perfugium talem emendationem esse duco. Equidem versibus multo magis mederi mihi videor ita scribens:

Tollitur hinc *tentoque* ruit Tirynthius arcu
Fundere certa regens adversa spicula flamma
Per piceos accensa globos, et q. s.

Utraque emendatione admissa locus ita explicandus est: Hercules arcu tento advolat, ut funderet certa spicula regens per piceos globos scil. faces flagrantes (an fortasse de catervis hostium piceo caligini involutis cogitandum est?), ut adversa flamma accenderentur. Quae sequuntur interpretatione non indigent, nisi forte ultima verba, quae ita intelligo, ut ignis magis effulgeat capillis correptis, quamvis hoc feliciter a poeta excogitatum esse jure dubites. Non est quod haereas in verbositate illa, quae est »tollitur hinc ruitque fundere«, a nostro scriptore in omni sermonis brevitate non aliena. Participium »accensa« igitur proleptice dictum est, verba autem »harundo contenta« metonymice, quum proprie exspectandum sit arcum contendere, cujus locutionis exempla ex Virgilio plura peti possunt, Aen. V, 520, XII, 815, telum contentum, apud Sil. I, 323. Improbanda vero A. Wagneri sententia, qua vox »contenta« idem sit, quod »cita«, ut adjective usurpetur. Spero non fore ut offendaris dicendi illa ratione, quae est »spicula« fundere, quippe qua sensus, quem aptum esse non negabis, efficiatur. Quamquam — libere id fateor — nescio an omnia emendatione mea accepta peracta sint, id certe evicisse mihi videor, ut sententia longe clarior evadat.

III, 670 sqq.

Et ego et quocunque voces qua tegmina ferro
Plura metam, tibi dicta manus, tibi quidquid in ipso
Sanguine erit jamque hinc operum quae maxima posco.

Antecedit Meleagri in socios cunctanctes increpatio, ne propter Herculis discessum animo deficerent sed incepta persequerentur. Animum reciperent reputantes, etiamsi Hercules abiisset, sat multos viros fortissimos superesse, in quibus nominatim affert Castorem et Pollucem, et ipsos Jovis summi filios, nec non sese ipsum. — Menda scribarum loco inesse facile elucet. Itaque variis modis interpretes eum sanare conati sunt, quorum alius conjecit:

En egomet quocunque voces quaque agmina ferro
Plura metas etc.,

alius: Adsto egomet, quocunque voces; quaeque agmina ferro
Plura metat, tibi dicta manus etc.,

altero enuntiato relativo quod incipit a voce »quaeque« ad haec ultima verba relato; longius progressus Jacobsius huncce in modum emendavit:

Ast egomet, quocunque vocas sequar; agmina ferro
Plura metam etc.

Consentire eos vides in recipienda voce »agmina«, qua in re ut iis adstipuler satis mihi persuaserunt. Nulla enim elocutionis »ferro tegmina metere« sententia est, quod contra »agmina metere« pluribus Silii locis cofirmatur, IV, 462, XIII, 218, XVII, 147. Minus confidenter quaenam praeterea mutanda sint, judicare licet, etsi facere non possum, quin Jacobsii conjecturam quae est »quocunque vocas sequar« felicissime excogitatam ducam. Ex scripturae enim quam dicunt quadratae notis eam elici posse vix qui neget extiturum esse putaverim. Locum vero non habere videntur, quae Carrionis codex atque Bononiensis et Aldinae editionis consensus exhibent verba »ast egomet«, ut qua conjunctione oratio non recte procedat. Neque non in voce »plura« si quid sentio, languidi quid inest. Nescio vero

an tibi commendetur emendatio qualis est »dura« cui et facilitas mutandi me fecit indulgentem et analogia horum exemplorum: Cic. Tusc. I, 43, 102 (Spartiatae duri), Virg. Aen. III, 94 (Dardanidae duri), Liv. XXVII, 48 (durum in armis genus), aliorumque Itaque libri Vaticani depravatam memoriam remediis non nimis fortibus adhibitis hunc in modum habes emendatam:

Namque ego te quocunque voces sequar; agmina ferro
Dura metam, tibi dicta manus, tibi quidquid in ipso
Sanguine erit, jamque hinc operum quae maxima posco.

Satis quadrata ita fit verborum compositio, abrupta autem dicendi forma non est quod offendaris comparans universam Meleagri sermonis notam*).

III, 737 sqq.

Non aliter gemitu quondam lea prolis ademptae
Signa legit; sedet inde viis, inclusaque longo
Pervigilant castella metu; dolor attrahit orbes etc.

Hercules per silvas montesque vagatur, ut Hylam recuperet, quem quum frustra per totum diem quaesiverit noctem in silva degere decernit. Insequitur jam comparatio ejus cum lea, cui catuli erepti sunt, quae ad universam viri condicionem, non solum ad ultima quae praecedunt verba referenda est. Quod si tenemus, multum inde lucramur ad medicinam admovendam loco. cujus integritatem nemo, quod sciam, defendit. Quae quominus statuatur, vèrba vetant codicibus exhibita quae sunt »terga dedit«, quaeque inde sequentur »sedet inde viis«, quippe quae non habeant quo cum ceteris conjungantur. Praecipuam autem offensionem vocabula initio v. 738 posita movent »terga dedet«, variisque conjecturis pertentata in quibus sunt »aegra

*) Schenklium in nonnullis rebus pariter mecum sensisse laetor, quum emendaret:

En egomet quocunque vocas, sequar, agmina ferro
Prima metam etc.

dedit« Heinsii, »orba dedit« Burmanni, »arva quatit« Jacobsii, ingeniosissima omnium Thilonis »signa legit«. Ea quoque quae subsequuntur, varie mutata sunt: »in deviis«, »in triviis«, »in biviis«, »in dumis« viri docti conjectaverunt. Ea cogitatio plerisque subest. leam catulis orbatam procul a pratis manere, quo magis saeviat contra tecta pastorum, ut qui illos eripuerint. Talem explicationem difficillime nec, ni fallor, naturae legibus minus respectis excogitatam parum esse probabilem, vix est quod moneam. Diversam igitur verae scripturae indagandae viam ex sententiarum connexu potius quam codicum auctoritate ductam ingressus suspecto verbo »quondam« quod pro »aliquando« usitatum non satis Virg. Georg. III, 99 defenditur, mutato ita scribi malo:

Non aliter gemitu quaerit lea prolis ademptae
Indicia insistitque viis, inclusaque longo
Pervigilant castella metu, dolor attrahit orbes etc.

Jam omnia liquere vides, dummodo teneas, hac comparatione non Herculem in silva tantum commorantem sed universe Hylam quaerentem latius fingi. Quae sententia insuper inde firmatur, et quod illi versus finem totius libri faciunt et quod modus comparationis exceditur. In sequentibus autem nulla conjectura opus est. Verbum »orbes« enim de oculis dictum, quod plerique in dubium vocasse videntur, non est cur addubitemus coll. sim. l. IV, 235 et VI, 246, Ov. Met. XIV, 200. et am. I, 18, 16, Virg. A. XII, 670, Stat. Th. I, 53, neque in conjunctis quoque vocabulis »attrahit orbes« offendendum est ad rem illustrandam quam maxime idoneis. Unum adjungo de v. 736. An tibi placet emendatio »sol*us*que negat decedere silvis«? Equidem non possum facere quin haeream in verbis »solis silvis«. In structura ad graecum sermonem provocante sed ab epicis romanis non aliena certe non effenderis.

IV, 88 sq.

Quod simul adsumpta pulsum fide, luctus et irae
Et labor et dulces cedunt e pectore nati.

Minyas de Hercule in silvis vagante maerentes Orpheus dulcissimo cantu consolatur. Levibus mendis prima verba laborant sed jam a Burmanno amotis alteram codicis Monacensis manum secuto immutanda voce »quo«. Emendato tum verbo »pulsum« in »pulsus«, illo autem, quod in fine exhibetur »nati« in aliud, quale propono »amici«, ut quae notio hic desideretur, sententia inde enascitur sententiarum cohaerentiae quam maxime adaptata. Quid enim sibi volunt nati? an liberi virorum intelligendi sunt, quorum neque ulla mentio fit neque recordatio apud illos rerum nexui convenire videtur? Neque cuiquam puto satisfacere J. C. Wagneri interpretationem, tantam fuisse cantus Orphici dulcedinem ut, qui eum audiret, cujuscunque doloris adeoque desiderio dulcissimorum liberorum oblitus fuisset. Praeferamus igitur hos versus ita restitutos:

Quo (sc. carmine) simul adsumpta pulsus fide luctus et irae
Et labor, et dulces cedunt e pectore amici.

IV, 195 sqq.

haecce verba legenda sunt:

Qualiter ignotis spumantem funditus amnem
Taurus aquis qui primus init spernitque tumentem
Pandit iter mox omne pecus formidine pulsa
Pone subit jamque et mediis praecedit abundis.

Carrionis elegantissimum versum in textum esse recipiendum, hoc quidem una cum Weicherto (de l. a. Val. 116) perspicuum neque ulla disputatione egens duxerim; verba autem et »procedit« et »praecedit« pari modo a loci ratione probari possunt, quippe quorum neutrum ab universa comparatione abhorreat. Sed miror sequentia verba viris doctis nulli offensioni obnoxia visa esse, quae sunt:

quem nec sua turba tuendo
It tanti secura metus.

Libere confiteor, lenem medicinam mihi non esse im promptu, sed tale quid substitui velim:

quem nec sua turba furentem
Sectatur secura metus.

Ne inde quidem res satis expedita est, quum restent in quibus haereamus et vox »sua« audacius adhibita et vocabula »secura metus« pleonasmum intolerabilem adjuncto verbo »metus« effectum continentia. Cogitare quidem licet de voce »metus« in eum sensum accipienda, quo is dicitur metus, qui aliis metum imbuit, atque hoc usu concreto — venia sit locutioni — admisso paulo facilius enuntiatum evadit intellectu. Quae interpretatio fortasse magis tibi persuadetur aliis exemplis collatis, quae habeo I, 22 (Pelias longus populis metus) et Stat. Theb. XII, 606, qui Medusae hac utitur significatione: Libyci metus. Ceterum silentio praeterire nolo, in tota Amyci regis atrocitate immanitateque adumbranda Valerium a. v. 200—204 parum feliciter esse versatum neque cuiquam imaginem ejus cogitatione informatam satis in conspectu posuisse.

V, 185 sqq.

Populeos flexus tumulumque virentia supra
Flumina cognati medio videt aggere Phrixi
Quem comes infelix Pario de marmore juxta
Stat soror, hinc saevae formidine maesta novercae
Inde maris pecudique timens imponere palmas.

Jason cum sociis in ostium Phasidis fluminis invectus prope ripam monumentum Phrixi et Helles conspicit. Locum non prorsus sanum esse ego quoque persuasum habeo, in sanando autem eo et ab Eyssenhardtio et a Meynckeo et Thilone discedo. Rejicienda est quam primus eorum probavit scriptura: flumineos flexus, supervacanea autem et Heinsii et illius: virentia supra culmina. Eloquendi enim ratio libris tradita satis tuta fit similibus locis apud Virg. Georg. IV. 18 (stagna virentia), Mart. IX, 76, 9 (quod marmor virenti fonte lavit Eurotas). Ego vero

genuinum esse nego verbum »flexus«, quod quomodo explices, valde laboras. Itaque potius restituerim »nexus«, quod bene dicitur. Major vero dissensio est de vocabulo »Pario«, de qua Meynckeum conferas egregie disputantem in Museo Rhen. XXII, p. 365 suoque jure docentem, talium ineptiarum, ut quae illa voce contineantur, poetam nostrum non fuisse auctorem. Vaticani libri scriptura est »pauo«; genuinam autem »pariter« ab illo prolatam esse, quum a sententia minus valeat, vix crediderim. Probabilius mihi videor conjecisse »pavitans«, ut haecce legantur:

Quem comes infelix pavitans de marmore juxta
Stat soror, hinc saevae formidine maesta novercae
Inde maris pecudique timens imponere palmas.

Omnia ita magis liquentia redduntur. Juxta Phrixi statuam comes infelix stat Helle pavitans h. e. toto corpore tremens ac perterrita, quae quibus animi motionibus affecta sit, sequentia docent. De pavitandi vocabulo cf. VII, 410, Virg. Aen. II, 107, Sen. Oed. v. 1067, Lucr. II, 58.

V. 194 sqq.

Per genus atque pares tecum mihi, Phrixe, labores
Tu, precor, orsa regas meque his tuteris in oris
Tot freta, tot durae properantia sidera passum.

Versus 196 nemo fuit qui patrocinium susciperet. Variis cum viri docti tentaverunt conjecturis, usque maxima ex parte vilibus. Nam participium »passum offensione, quam ad unum omnes moverunt, plane vacare unusquisque concedet cum recordatus. quot similium locutionum in nostro scriptore exstent exempla, quorum unum affero: (VIII, 100) heu saevum passure diem — neque id dubitasse, videntur, qui vocem »passum« in »passis« mutaverunt, tum grammatica ratione respecta. Verba mendose descripta potius sunt »durae properantia«, quae Thilo Jacobsii vestigia premens feliciter ita restituit:

Tot freta tot cursu properanti sidera passum.

Hac emendatione, in quam et ipse mea sponte incidi, versus ad integrum mihi videtur redactus esse. Similem praetera mente teneo dicendi rationem nescio quo carminis loco inventam quae est »cursu citato« neque a comparatione l. IV, v. 167 abest. Ceterum interpretes illud fugisse videtur, quod Valerius imitatus est Virg. Aen. V, 628, ubi verba exstant: »tot inhospita saxa sideraque emensae ferimur«. Uni quod restare puto mendo voculae »tu« mederi velim litera »u« in »e« mutata. De ratione inter v. 186 et 197 intercedente satis est dicere, graviori distinctionis signo in fine illius opus esse, quo prorsus sejungantur.

V. 467 sq.

Conveniunt rogitantque viros rogitantque quid ausi
Quidve ferant.

Sermo est de Colchis Solis templum intrantibus Graecosque in eo morantes exquirentibus. — Quod hoc loco verbum »rogitant« bis ponitur nec tamen quod ob sententiam repetatur, dignum videtur, prorsus justam plerisque versus movit dubitationem. Quum Thilo nimia audacia »lustrantque« conjecit, quod ego praefero vocabulum »aditantque« ab epico sermone non abhorrens, quia apud Ennium invenitur, proprius fortasse ad veram poetae scripturam accedit.

VII, 32 sqq.

Ille autem jamjam vultus vocesque paratas
Ante aperit, rumpitque moras inque ipsa morantis
Prosilit ora viri talique effunditur ira etc.

Perseo Argonautarum ope debellato Jason Aesonem adit, ut quae pollicitus esset jam praestaret. Rex autem priusquam ille quae vellet dicere posset conviciis eum obruit ac se promisso staturum esse negat. Pro »paratas« servo lectionem codicum consensu defensam »parantem«. In verbis autem quae sunt »ante aperit« est cur offendamur. Si enim quo vinculo singulae sententiae inde a v. 32 contineantur respexeris, ea, quae voca-

bulis illis enuntiantur a ceterarum partium cohaerentia valde aliena esse non negabis. Unde Meynckeus adductus est, ut conjectaret »ante premit«, quod quum a sententia mihi improbetur, aliam emendationem propono hancce:

Ille autem jamjam vultus vocesque parantem
Antevenit rumpitque moras inque ipsa morantis
Prosilit ora viri talique effunditur ira.

VII. 531 sqq.

Transeo jam ad locum difficillimum ita a Thilone exhibitam:

Illa trahit ridens tandemque ait angue represso:
Hunc tibi postremum nostri parat ira parentis,
Heu miser heu tantis iterum carpende periclis!
O utinam ut nullo te sim visura labore
Ipsam caeruleis squalentem nexibus ornum
Ipsaque pervigilis calcantem lumina monstri
Contingat vix deinde mori! sic fata refugit etc.

De contextu orationis haec praemittam: Jason Medea duce ad nemus tendit, in quo quum ad draconem venissent, virgo terrorem monstri socio injicere cupida, portentum irritat. Quo facto quum furere coepisset, ille autem metu perculsus stricto gladio eum profligaturus esset angue domito comitem oratione inde a v. 532 sequenti alloquitur. — Est primum quod mutemus vocem »trahit« in aliam quam commendo »domat«, quamvis si forte alter probabilius conjectarit non repugnaverim. Proxima offensa mihi oritur verbo »parat« et quod sensu minus valet et quod propter subsequentis vocis »parentis« pares primas litteras, unde corruptela originem videtur duxisse, in versu legendo male sonat. Quam ob rem conjecturam propono qualis est »vocat«. Quod vero Meynckeus protulit: »hoc tibi postremum monstrum parat ira parentis«, rejiciendum est, non solum quia ceterorum verborum mutatione opus non est, sed etiam ob monstri vocabulum paulo infra iteratum. Pro voce »carpende« cui non omnes libi m. patrocinantur, verius quam alii emendasse mihi

videor »captande«, ea sententia accipiendum, qua sit; illecebris dolisque capiende. Sed jam obscurissima sequuntur enuntiata, quibus si mederi volumus, nihilosecius levissimam tantum medelam admovere satis est. Meynckei enim speciosior quam verior conjectura, quae est: calcare volumina neque rem satis expedit et adjectivo »pervigilis« vocabulo »monstri« apposito suspicioca redditur. Equidem igitur ambagibus missis totum locum hunc in modum restitutum genuinum esse confidentius affirmaverim:

Illa domat ridens tandemque ait angue represso:
Hunc tibi postremum nostri vocat ira parentis,
Heu miser! heu tantis iterum captande periclis!
O utinam ut nullo te sim visura labore
Ipsam caeruleis *scandentem* nexibus ornum
Ipsaque pervigilis *caecantem* lumina monstri!
Contingat dum deinde mori! e. q. s.

Ad vocem »squalentem« unum adnotabimus. Cod. Vat. memoria praebet »qualentem«; fortasse inde magis tibi commendatur scriptura nulla fere mutatione effecta; »quatientem«, de qua cf. Ovid. Met. XII, 329 (quercum quatere).

Ita partium aequabilitatem habes quam maxime servatam et sententiam perspicuam inde enatam hanc: Hunc postremum pater meus iratus auxilio vocabit contra te miserum, iterum tantis periculis tentandum. Utinam te videam feliciter ornum scandentem ope nexuum caeruleorum draconis ejusque vigiles oculos caecantem! Excidit jam cogitatio qualis haec: quod quum nisi a me adjutus perficere nequeas — atque hoc quidem virginem disertis verbis non pronunciasse non est cur mireris —, mihi vero te juvanti pater ipse fallendus sit, re perpetrata a diis mortem mihi exopto. Tale quid a loco non abhorrere confirmant quae Medea l. VIII. v. 10—15 verba facit.

VIII, 7 et 8.

Quosque fugit complexa toros crinemque genasque
Ante per antiqui carpsit vestigia somni etc.

Verba »ante per« omnium consensu corrupta judicantur, ut quae quomodo cum eis quae antecedunt et sequuntur componi possint non eluceat, in conjecturis autem faciendis singuli discesserunt. Non tollitur difficultas mutata voce »ante« in »angue«, quod Burmannus proposuit adstipulante Weicherto, vel in »acta«. Aestimandam potius viris doctis commiserim hanc emendationem a sententia si quid video haud improbabilem:

crinemque genasque
Aeque atque antiqui carpsit vestigia somni.

VIII, 62 et 63.

ille suis haec vibrat fulgura cristis
Meque pavens contra solam videt etc.

Vocis »contra« nullam habeo explicationem cuiquam satisfacientem. Draco enim pavet, quod Medea non sola sed Jasone comite advenit. Itaque arrisuram tibi esse spero mutationem, quam admiserim hanc:

meque pavens non jam solam videt etc.

VIII, 285 et 286.

Dixerat itque orans iterum ventosque virosque
Perque ratis urguet remos vox alta magistri.

Colchi Absyrtho duce quanta possunt celeritate Argonautas persecuti in conspectum eorum veniunt nuptias ducis cum virgine perfuga celebrantium. Tum vero ille socios alloquitur, se non solum in Minyis ipsis sed in tota Graecia vindictam sumpturum esse jactatus, simul sororem conviciis increpans, quod patriam deseruisset. Quibus dictis naves obit et ventos, ut sibi faverent, implorans et viros, ut contentionem etiam magis augerent, adhortatus. —

In restituendo versu 286 interpretes satis desudarunt quorum alii alia via explicationem medelamve adhibere studuerunt. Supersedeo varietatem conjecturarum enumerare, in quibus Thiloniana quoque lectio est, quum nimia inter eas dissensio sit, satis habens unam scripturam protulisse ex commentatione Wagneri (Phil. XX, p. 647) petitam, quae quamvis contra metrum pugnans ed. Aldinae et Bon. propria est sed ex antiquiore fortasse fonte fluxit:

Dixerat itque orans iterum ventosque virosque
Prope ratis supplex vox remigis illa magistros.

Prorsus diversam verae enucleandae scripturae rationem ingressus graviori immutatione, qua eaque fere majori ceteri quoque non abstinuerunt, admissa genuina verba eruisse mihi videor haecce:

Dixerat itque orans iterum ventosque virosque
Et properat supplex remos vox atque magistros.

Dux igitur precibus et remiges et gubernatores navium — de his enim in voce »magistros« cogitandum est — quo magis festinent admonet. Zeugmatis forma autem inde exsistit a Valerii dicendi genere minime abhorrens, quibus et illis quidem haud raro audacissimis eum praecipue indulgere, vix est quod moneam, cf. Thil. prol. p. 21 et 22. Ceterum cum plerisque facio in statuendis duobus enuntiatis, quum justo magis langueat, quae est elocutio: supplex vox it orans.

l. VIII, v. 437.

Credidit ardentes quis se tunc jungere tauros
Posse? quis ad saevi venturum templa draconis?

Medea Jasonem increpat, quod sociorum voluntati nimis cedat seque ipsam spernat. Male nonnulli verbum »tunc« reprehenderunt, voculam »se« autem, quum sermonis nota inflammata quidem neque tamen ironica sit, a sententiarum nexu magis alienam esse duco, quam quod ipse cum Heinsio, Burmanno, Schenklio probo »te«.

VIII, 444 et 445.

Sic fata parentem
Reddere dicta virum furiata mente refugit.

Non ignara insidiarum ab Argonautis sibi imminentium Medea maritum ipsum compellat, ut si quid suo auxilio faciendum esset sibi aperiret. Conticescentem pudoreque incensum precibus eum urget, quibus quum minus valuisset, tandem ad convicia confugit. Tum vero, quum responsum laturus est, quod exoptasse illa necessario putanda est, nescio quo pacto eum fugit. In hac rerum cohaerentia aliquid inesse a logica ratione plane abhorrens satis miror quod interpretes fugit. Itaque quum praeterea nullius nisi codicis, qui lit. ψ insignitur, auctoritas lectionem fere receptam tueatur, Vat. autem memoria »parentum« exhibeat, Mon. »parentem« potius emendandum est cum alt. m. cod. Mon.:

Sic fata paventem (vel morantem)
Reddere dicta virum furiata mente refugit.

In hoc versu id vitium deprehendo Wagneri, ut vocem »Palladia« in longam syllabam cadentem pro nominativo accipiat. Weichertus quidem traditam scripturam explicare studuit, sed neminem spero mihi esse contradicturum ita corrigenti:

interque ingentia Graium
Nomina Palladia in virgo stetit altera prora.

Cf. A. Wagneri comment. perp. p. 284.

Denique disputare est in animo de libri octavi loco illo, ubi sedecim versuum, quos ceteri insiticios putaverunt, unus, qui latius de iis disseruit Weichertus in defendenda Valeriana origine non ita quidem feliciter versatus est. Quam quaestionem ut denuo retractemus, eo magis operae pretium esse puto, quo minus hodie fundamentum artis criticae a Thilone factitatae extra omnem dubitationem positum est. Sunt autem hi versus a Pio in nonnullis non antiquissimis tamen codicibus reperti:

Occidit Aeetes casu perculsus acerbo
Stratus humi. Carae relegens vestigia natae
Dat gemitus: lacrymas simul vocesque resorbet.
Heu miser alttolens foedatam pulvere tandem
Caniciem: poterasne tuo nocuisse parenti
Filia sola meae spes non indigna senectae?
Duceris a Minyis furtim: dulcique carebis
Conjugio, laeta et nunquam praedone marito.
Hic labor est, Absyrthe, tuus; revocare sororem
Undique selectam pubem: jam classe parata
Et nostro da vela mari. Tum ille impiger omen
Accipit: et magni subiit mandata parentis.
Interea velo remisque feruntur in altum
Certatim Minyae: solers Neptunia proles
Consulit ut dubio caveant contendere cursu:
Et securus, ait, nobis et tutior Ister.

Vellere aureo potiti Argonautae extemplo ancoris solutis altum mare petunt. Aeetes autem de fraude fugaque filiae certior factus cum Absyrtho filio totaque urbis juventute stipatus ad litus contendit, sed navem procul fugientem conspicit. Tum poeta paulum abrupte cadit in pingendum matris dolorem quam longa oratione questus edentem facit. Atque excusaverim aliqua ex parte Weichertum nimis eo offensum, quod nulla praeterea Aeetis ipsius mentio fit, quum plerumque Valerius non facile occasionem praetermittat, qua singularem suam artem animi motionum exponendarum praestare possit. Attamen in damnandis illis versibus cum ceteris viris d facio. Ille autem in dissertatione quam scripsit de vers. aliquot C. Val. Fl. injuria suspectis p. 139 sqq. eos post v. 139 positos carmini vindicavit. Agnosci in iis, ait, ponderosam illam orationis elegantiam, qua Valerius excellat, neque ulla foedae scabritiei ramenta serorisque aevi vestigia deprehendi, quibus se prodere soleat monachorum industria. Qua in re, si quid sentio, vereor ne egregie fallatur. Irridens tum ille docet Pium, censentem, Aeetis questus

magis infra recurrere, quod sane non fit. Sed omnino in hac quaestione dijudicanda non nihili faciendum duco, quod vir non tam bene in lacrymas effusus inducitur quam mulier, regis autem mores non ea fuerunt mollitia, ut qui in nostro carmine apparent, qua liceat, talem ab eo exspectare complorationem. Multo magis cum iis convenit, quod statim nihil aliud agit, quam ut filiam perfugam recuperaret ira potius quam dolore perculsus. Itaque rex »senectae immemorem« se prastat et in questibus reprimendis et in classe paranda, qua de re conf. v. 290, cujus vim ut debilitaret, Weichertus id perfugium non contemnit, ut dicat, non improbabile esse, naves jam dudum exstructas in portu stetisse paratas, vel etiam, poetam omnino sibi non constitisse in rebus enarrandis. Sed non de arte ejus neglecta sed de interpolatione cogitandum esse satis superque docent verba »interea velo remisque« et quae inde usque ac finem sequuntur. Nam paulo infra Erginus gubernator Minyis iterum persuadet, ut Istrum petant. Quae ita inter se convenire vir ille doctus arbitratur: »Illud, et securus, ait' etc. Erginus statim post fugam capessitam dixerat; quod monitum quum Argonautae susque deque habuissent et contenti vellere capto nec via quae superesset nec quae fortuna viderent, Erginus Cyaneis prope jam factus eos increpat, levitatis arguit et Istrum petendum esse, iterum gravius monet. Quae increpatio ne locum quidem habere posset, nisi prius jam Argonautas admonuisset. Itaque tantum abest, ut hic locus illos versus suspectos faciat, ut eorum gravitatem et necessitatem stabiliat et evincat«. Ad haec infirmanda sufficiant verba ex Ergini oratione in medium prolata quae sunt:

Mutandum, o socii, nobis iter, altera ponti
Eluctanda via et cursu, *quem fabor*, eundum est,

quibus dictis novam quae ineunda sit viam cum sociis communicat.

Quae universae rationes, quum per se spectatae illos versus satis suspectos reddant, singula quoque momenta accedunt ex

dicendi genere ipso petita, quippe cujus nota nescio quid a Valerio alienum et abhorrens habeat. Gravissimas tantum offensiones eligam. Ut omittam, verbi »occidit« ipso initio collocati vim sententiae parum esse aptam, gravius offendimur sequenti enuntiato

poterasne tuo nocuisse parenti
Filia sola meae spes non indigna senectae?

Ingratissimam nec tolerandam tautologiam, ut hoc Marciani vocabulo utar, subsequentia continent verba

dulcique carebis
Conjugio laeta et nunquam praedone marito.

Obscurissime dictum est, si quidem sensus inest:

jam classe parata
Et nostro da vela mari.

Nulla autem est sententia ultimi versus:

Et securus, ait, nobis et tutior Ister.

Quibus argumentis allatis nullam tibi restare puto dubitationem, quin sedecim illos versus neque a sensu probabiles neque codicum auctoritate nitentes qui recipiantur indignos judices. Neque praetermittendum, iis rescissis quamvis ordo verum fortasse non bene descriptus sit, nullam exsistere sententiarum lacunam, ut quae satis vitetur iis, quae infra a v. 285 sqq. enunciantur. Sed quantum in nostro scriptore interpolatores posuerint studium dilucidius quam gratius demonstrant. Ut enim quaestionem unde ortum sit glossema obiter attingamus, indole versuum respecta non procul a veritate aberrare videmur statuentes, eos haud vulgari diligentia elaboratos aut monachi alicujus medii aevi studiis aut Italo decimi quinti vel sexti saeculi deberi, a quibus Valerium audaces nec indoctas habuisse interpolationes exploratum est, quosque ne a pluribus quidem versibus contextui inserendis abstinuisse alios quoque eosque summos Romanorum poetas testes habemus.

Sed finem impono alteri commentationis parti, in qua si forte queraris, me codicum, ex quibus omnia pendeant, aliquot locis minus rationem habuisse, quam par fuerit, non negligendum esse postremum iterum te monere liceat, nostri scriptoris textum quem vocamus tam infirmo uti fundamento, ut vel inde, si quis libros minus respexerit, multo faciliorem habeat excusationem, quam ceteroquin per leges criticas permitti solet. De Schenklii autem editione nuper vulgata, quae hac commentatione jam scripta in manus meas pervenit, quid judicem, fortasse alia occasione data pronunciare licet.

Sententiae controversae.

I.

Eur. Iphig. Taur. v. 15 haecce levis medicina admovenda est:

δεινῇ δ' ἀπνοίᾳ πνευμάτων ἐντυγχάνων
εἰς ἔμπυρ' ἦλθε etc.

II.

Thucydideum illum l. I, c. 39 locum in summam controversiam vocatum ita vere scribendum esse profero sententiam: *πάλαι δὲ κοινώσαντες τὴν δύναμιν κοινὰ καὶ τὰ ἀποβαίνοντα ἔχειν, ἐγκλημάτων δὲ τούτων ἀμετόχοις οὕτω τῶν μετὰ τὰς πράξεις μόνων μὴ κοινωνεῖν.*

III.

A vulgata ceterorum scriptorum opinione, Themistoclem ipsum manum sibi attulisse, Thucydidis memoria non abhorret.

IV.

Onckenii (Athen u. Hellas I, 113—130) de Themistoclis fuga et Pausaniae vita extrema disputantis temporum ratio quam maximam movet dubitationem. Quo autem ille potissimum utitur argumento ad tempus angustius definiendum, Pausaniam primum non medismi sed potestatis abusus accusatum esse, egregie fallitur et Thucydidem ipsum (I, 95) habet adversarium. (Cf. Oncken A. u. H. I. p. 113 et 126).

V.

Pugna ad Eurymedontem commissa quin a. 469 facta putetur, id quod Grotius Curtiusque a. 466 probantes negarunt, a Thucydide nihil obstat.

VI.

Demosth. Phil. I, 47 et 49 quae leguntur: *τοῦ προσήκοντος· κακοῦργον μὲν γάρ ἐστι κριθέντ᾽ ἀποθανεῖν, στρατηγοῦ δὲ μαχόμενον τοῖς πολεμίοις*.. et *ἀνοητότατοι γὰρ εἰσιν οἱ λογοποιοῦντες*, cum Dobreo et Cobeto insiticia puto.

VII.

Ei eloquendi rationi, qua „si" ad analogiam graeci „*ἐὰν*" cum conjunctivo copulatur, Tacitus praecipue indulget.

VIII.

Lex Hortensia post quartam plebis secessionem a. 287 a. Chr. lata non ad legem Publiliam (a. 339) redit, sed ad infimam plebem potestatemque tribuniciam augendam valet.

IX.

Mommsenius in condemnando et contemnendo Cicerone paulo nimius fuit.